



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. XI. De Impedimentis impediens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

in sc̄eminis duodecimus, nisi malitia suppleat ætatem; hoc est nisi antecedenter sint doli capaces, & simul apti ad copulam iudicio prudentium.

ARTICULUS XI.

De Impedimentis impediētibz.

- I. Recensentur impedimenta impediētia.
- II. Tria duntaxat sunt in usu; Ecclesiæ vetitum, Sponsalia, Votum.
- III. Quid veniat nomine Interdicti? Quid nomine Temporis feriarum? Quid nomine Catechismi?
- IV. Ad quid tenetur, qui emisso voto, sive castitatis, sive religionis, matrimonium contrahit?
- V. Num sit licitum matrimonium habenti votum castitatis, si detur munia obligatio non petendi debitum?
- VI. Num habens votum castitatis possit aliquando petere debitum a conjugē?
- VII. Illicitum est contrahere matrimonium cum habente votum castitatis; nisi hic illud offerat.
- VIII. Habens votum castitatis nequit uxorem ducere ad sedandas urgentes tentationes.
- IX. Etiam Episcopus in impedimentis impediētibz dispensare potest, excepto Voto, & Sponsalibus.

I. **D**iximus, impedimenta impediētia (quæ scilicet impediunt licitam Sacramenti matrimonij susceptionem sub mortali, & sub pœna excommunicationis) esse hæc, quæ sequuntur.

Primum est Ecclesiæ vetitum; secundum tempus feriarum; Tertium Catechismus; Quartum Sponsalia cum alio contracta; Quintum votum simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi; Sextum Crimen, videlicet primo Incestus cum con-

fanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, (qui impedit matrimonium cum quacumque persona, ut notat Perez) necnon incestus cum propria matre, seu filia; Secundo Raptus alienæ Sponsæ; Tertio Uxorididum; Quarto susceptio propriæ prolis in baptismo ad impediendam redditionem debiti; Quinto Presbyterididum; Sexto publica pœnitentia, quamdiu durat; Septimo matrimonium cum moniali. Præterea impedit matrimonium omisso proclamationum, & benedictionis; Necnon Claustrinitas, ubi non est receptum Trident. juxta ea, quæ diximus quæst. 4. art. 3.

II. Ex his impedimentis sublatum jam esse per non usum Criminis impedimentum, docent Sanch. lib. 7. disp. 17., Ledesma, Laym., & alii. Communiter enim obstricti talibus impedimentis solent matrimonium contrahere absque dispensatione, nec transgressores puniuntur. Unde docet Reginal. apud Bonac., quod si alicubi ea lex per non usum abrogata non esset, peccaret graviter, qui cum tali impedimento matrimonium contraheret. Præterea impedimentum Catechismi sublatum esse per Tridentinum, communiter Doctores docent. Quare tria remanent præcipua Impedimenta impediētia, nimirum Vota, Sponsalia, & Interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ, quæ prohibet etiam nuptiarum solemnitates tempore feriarum, ut mox explicabimus.

III. Queritur nunc primo; Quid sit interdictum, seu Ecclesiæ vetitum, quatenus est impedimentum impediēns?

Respondeo, nomine Interdicti non venire hic censuram; quinimmo probabiliter tempore interdicti alicujus Civitatis potest etiam a persona specialiter interdicta matrimonium contrahi; quamvis benedictio solemnis nuptialis non nisi in solemnitatibus exceptis

ceptis fieri debeat: Quare nomine Interdicti venit hic prohibitio Episcopi, vel Parochi, aut alterius Ecclesiastici Iudicis interdicens alicui, ne matrimonium contrahat, donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur.

Quaritur secundo; Quid veniat nomine Temporis feriarum?

Respondeo, intelligi, quod ab Ecclesia prohibeantur sub gravi solemnitates nuptiarum (videlicet benedictio nuptialis, solemnitas Sponsae in domum Sponsi traductio cum convivis, musica, &c.) a primo die Adventus usque in diem Epiphaniae, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae, ex Trident. sess. 24. cap. 10. Ubi notat Busemb., & Perez, non prohiberi his temporibus matrimonium contrahere, immo nec consummare; cum Tridentinum hortetur solum ad praemittendam consummationem matrimonii benedictionem nuptialem; sed tantum prohiberi solemnitates matrimoniorum. Docet quidem Bonac., petendam esse ab Ordinario licentiam contrahendi Sponsalia, & matrimonia sine solemnitate dictis temporibus: Verum Con., Perez, & alii id negant; quia nec Tridentinum, nec jus antiquum ea prohibet; cum in *cap. Cappellanus, de feriis* dicatur, posse omni tempore matrimonium celebrari, consuetudine Ecclesiae id attestante. Quod si alicubi esset consuetudo in contrarium, in iis locis petenda esset ab Ordinario licentia contrahendi matrimonia dictis temporibus, eo quod consuetudo, non vero Tridentinum in iis locis talem legem tulerit, ut idem Perez advertit.

Quaritur tertio; Quid sit Catechismus?

Respondeo; Idem sonat Catechismus, ac Instructio de rebus fidei; hoc autem nomine venit impedimentum, quod contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplen-

tur in Ecclesia ceremonia post baptismum collatum in necessitate; Sicut enim Patrini baptismi contrahunt cognationem spiritualem, quae est impedimentum dirimens; ita Patrini Catechismi, seu qui respondent pro infantibus, quando interrogantur, An credant, an renuncient Diabolo, &c. contrahunt aliam cognationem spiritualem imperfectam, quae est impedimentum impediens. Verum hoc impedimentum sublatum est vel a Tridentino, ut docent Sanch., Filliac. Fagund., vel a consuetudine, ut docent Perez, Bonac., & alii.

IV. Quaritur quarto; Qui emissio voto castitatis, vel celibatus matrimonium illicite contrahit, ad quid tenetur?

Respondeo; si votum sit non contrahendi matrimonium, peccat quidem contrahendo illud, sed potest licite petere, ac reddere debitum; mortua tamen uxore, tenetur abstinere a nuptiis. Si vero votum sit Religionis, tenetur votum implere ante consummationem matrimonii; peccatque consummando, etiamsi reddat debitum; quia sic efficit sibi votum impossibile, ut servetur: Consummato tamen semel matrimonio, licite deinde petit, ac reddit debitum; quia votum, tanquam impossibile, manet suspensum, donec Uxor moriatur, aut adulteretur, aut consentiat, ut legitime maritus Religionem ingrediatur. Si demum votum sit castitatis, nunquam potest debitum petere ante dispensationem; potest tamen reddere, etiam prima vice; quia uxor habet ad id jus, nec maritus tenetur ad servandum votum castitatis ingredi Religionem; cum hoc sit medium nimis durum, ut constat ex Extravag. *Antiqua, Joannis 22. de Voto* apud Conink.

V. Notandum hic primo cum Perez, quod si quis habens votum castitatis contrahat matrimonium cum

nu-

mutua obligatione servandi castitatem, quin se exponat periculo violandi votum, non peccat contrahendo; sicut non peccavit B. Virgo; secus vero peccat.

VI. Notandum secundo cum Sanch. lib. 9. disp. 7., quod habens votum castitatis, (sicut etiam qui post matrimonium contraxit illicitam affinitatem cum Uxore) quamvis non possit petere debitum ante dispensationem, potest tamen nonnunquam insinuare se conjugii, & offerre se ad usum conjugalem, immo petere ab eo debitum; non tamen in gratiam sui, sed gratia complacendi conjugii, & ne reddat illi matrimonium grave, & onerosum; sicut esset, si semper alter petere cogeretur. Ratio est, quia hoc genus petendi est quodammodo reddere; cum in gratiam solius conjugis fiat.

VII. Quæritur quinto; An possit Berta licite matrimonium contrahere cum Titio habente aliquod ex dictis votis?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub. 3., & Perez negative. Ratio est, quia res uni promissa potest quidem alteri valide tradi, sed illicite traditur; & si sponte offeratur, illicite acceptatur; Etenim acceptans per acceptationem usurpat sibi rem alteri obligatam, & illi eam subtrahit; unde indirecte injuriam infert illi, cui est obligata: Secus accidit, si Berta contrahat matrimonium cum Titio, cui prohibita sunt nuptiæ; quamvis enim peccet Titius offerendo matrimonium, non peccat tamen Berta illud acceptando: Sicuti non peccat, qui acceptat legata a Beneficiariis, quamvis isti mortifere peccent disponendo de proventibus Ecclesiasticis ad usus profanos, ut notat Less. Et ratio a priori est, quia Berta non tenetur impedire matrimonium, quod illicite offert Titius, nisi

Par. VII.

ex correctione fraterna, qua tenemur proximi peccatum impedire; hæc tamen non obligat cum magno incommodo; quale esset Bertæ, valde commodas nuptias rejicere.

VIII. Quæritur sexto; An habens votum castitatis possit aliquando licite matrimonium contrahere sine dispensatione; eo quod, verbi gratia, sentiat urgentes tentationes, & difficultates, quas si prævidisset, castitatem non vovisset?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub. 3., Perez, & aliis communiter negative. Ratio est, quia vovens castitatem universim ea animi alacritate vovet, ut velit tentationes omnes superare, si occurrant; unde non potest præsumi prudenter, quod hunc casum excipiat: Sicuti qui vovet, verbi gratia, peregrinationem in pervigilio B. Virginis, non excusatur ab illa per hoc, quod dies sit pluvius; quamvis facilius id voverit, quod crederet, tempus esse serenum, aliter id forte non voturus. Adde, quod in manu voventis est, superare difficultates omnes in servanda continentia, vitando occasiones, & otium, & exercendo se in jejuniis, orationibus, & eleemosynis.

Verum quidem est, quod sicut diximus de promittente Sponsalia, ita quilibet promittens quodcumque, si ve homini, si ve Deo, censetur excipere illum casum, quem communiter omnes cordati, qui sunt ejus conditionis, prævisum omnino exciperent. Sed negatur, hujusmodi esse casum nostrum; siquidem cordati communiter non retrahuntur a Voto castitatis, quod concipiunt, per hoc, quod prævideant tentationes graves insurrecturas. Adde, quod, ut quis liberetur a promissione facta homini, non sufficit omnis talis difficultas de novo occurrens, quæ si fuisset prævisa, deterruisset a promittendo; sed requiritur talis difficultas, quam promissarius non

T

non

non potest tollere, & quæ prævisa communiter cordatum quemcumque, ut diximus, a promittendo averteret; atqui in casu nostro non solum non avertit cordatos a votenda castitate difficultas tentationum prævisa, sed etiam talis difficultas a Deo Promissario tolli potest; & de facto tollitur, si orationibus, & jejuniis illa ab eo petatur; ergo in casu nostro tenetur vovens adimplere votum, nec potest licite matrimonium sine dispensatione contrahere: Urgentes autem tentationes, ac difficultates insurgentes possunt quidem esse iusta causa petendi, & obtinendi a Pontifice dispensationem in voto; non possunt tamen esse causa iusta, ut voti obligatio tol-

latur.

IX. Quæritur ultimo; Quisnam possit in impedimentis impedientibus dispensare?

Respondeo, præter Pontificem, posse etiam Episcopum: Excipiuntur tantum non solum vota castitatis, & religionis, sed etiam impedimentum Sponsalium; quod pariter a solo Pontifice dispensari potest, ex cap. *Leiteris*, 2. de Sponsal. Et ratio est, quia cum per Sponsalia acquiratur ius Tertio, nullus, præter supremum Principem, potest tale ius auferre; & idcirco Doctores docent, non posse ab Episcopo relaxari iuramentum Tertio præstitum, ut notat Perez disp. 33. sect. 8., & Sanch. lib. 7. disp. 17.

Q U Æ S T I O VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

EXaminandum primo; Quisnam possit in iis dispensare? Secundo; Quisnam causa requiratur ad licitam dispensationem? Tertio; Quandoenam dispensatio est surreptitia, & nulla?

ARTICULUS I.

Quisnam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

- I. Quid interest inter legis Dispensationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem, & Interpretationem?
- II. Privilegium a dispensatione, & a licentia, in quo differant?
- III. Dispensatio in lege Superioris est invalida, si fiat sine causa, sicut etiam interpretatio in lege Divina, puta in voto, aut iuramento, etiamsi fiat a Pontifice.
- IV. Dispensatio stricte est interpretanda; secus vero Privilegium; & Pote-

stas dispensandi universim; non tamen si talis potestas respiciat particulares personas.

V. In impedimentis iure divino dirimentibus Papa dispensare non potest; nisi ea dirimant iure naturali secundario, ut sunt votum, & Sponsalia, ac matrimonium ritum.

VI. Num possit Pontifex dispensare, ut Sacrificium fiat sub una tantum specie? Num etiam quod Episcopus non resideat?

VII. Potest Pontifex dispensare in radice matrimonii, legitimando prolem relate ad effectus canonicos, non relate ad civiles.

VIII. Episcopus potest ex causa ^{urgente} _{risi}